



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Concio Secunda. Textus: Confabulabantur. Thema: Honesta recreatio,
licita est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)



IN FERIA II. PASCHATIS.

CONCIO SECUNDA.

Confabulabantur. Lucae 24.

Textu.

Honesta recreatio licita est, & Deo placens.

Thema.

Hodierni peregrini confabulabantur, honesto discursu, *Exordium.*
 in itinere se recreabant, & Christus se eis associat, &
 conjungit, ergo confabulatio, honesta recreatio, Deo
 non displicet, imò placet, & approbat; ad honestam
 recreationem, exhilarationem mentis, quemvis pium,
 ac sedulum Christianum, exhortatur Apostolus ad Philipp. cap. 3. *Textu.*
Gaudete in Domino, fratres, iterum dico, gaudete, &c. & cap. 4.
Gaudere in Domino semper, Regius Psalter pariter admonet. Psal. *Scripturae.*
 31. *Letamini in Domino, & exultate justi;* & iterum Psal. 104. *La-*
tetur cor, quærentium Dominum. Recreationem, exhilarationem
 mentis, & SS. Patres approbant, & eleganter de hac veteres Sa- *Patres.*
 pientes scripsere: Audiamus eorum dicta. *Sunt oblectamenta viri*
prudens gratiora, & utiliora valde, quia divina: verumtamen
arctiori disciplinâ, studiisq; spiritualibus, animus infirmior sæpius
his relevatur, ac respirat; Arcus enim, si assidue sit tensus, re-
missior est, & minus ad officia aptus, S. Bruno Epist. 1. *Scitis charissimi,* *S. Bruno.*
quod corruptibile corpus, inter continuas anxietates, non potest sub-
sistere, nisi quandoque recreationis remedium intercedat. Verba
 sunt Innocentii tertii. Pontificis Maximi. *Infirmior animus est,* *Innocentius*
quàm ut studia continua sustinere queat: desiderant labores paulò *3. Pont.*
contentiores, ut curis gravioribus, atque molestius paulisper relaxa-
tis, in voluptates remittantur: scribit Lucianus, in Dialogo, *Lucianus.*
 G g 3 tom.

quentem, ut sicut è cœlo, omnis benedictio terræ devenit, se homini piè, devotè loquenti, sermocinanti evenit omnis prosperitas, felicitas, copia benedictionum. Exemplum habemus, in hodiernis discipulis, euntibus in Emmaus; hi pia, devota, spirituali ad invicem loquebantur, nempe de morte dolorosissimâ Christi, & gaudiosâ resurrectione; & quantis fruuntur donis, & gratiâ. Christus se eis comitem associat, sensum Scripturæ exponit, panem benedicto, corpore inquam suo eos satiat, & reficit, mentem illuminat, cor inflamat, omnibus sensibus benedicit.

CONCEPTUS IV.

Piè, devotè sermocinari, præfagium est, æternæ beatitudinis fore participem, liquet ex verbis Davidicis, Psal. 14. *quærentibus Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Respondet Psalmista Regius: *Qui loquitur veritatem in corde suo, & non egit dolum in lingua sua.* Ecce lingua piè, devotè loquenti, David cœlorum regnum, ingressum in tantam æternam promittit; piè, devotè sermocinari, præfagium est beatitudinis temporalis, & æternæ, ita concludit S. Chrysostomus Hom. 9. in Cant. *Sicut noti sunt ex sermone, Barbari & Scythæ, & nos cognoscibiles fiemus, si loquamur, sicut Apostoli, & sicut Evangelii.*

CONCEPTUS V.

Mortuo Salvatore nostro, profitetur Longinus, coram turba spectante: *Verè Filius Dei erat iste.* Matth. 27. cap. Saucium, & humilissimum Jesum, describit David, Psal. 21. *Opprobrium in ministerio, & abjectio plebis.* Unde ergo centurio advertit divinam pulchritudinem in Christo? Respondet S. Bernardus Serm. 20. in Cant. *Certè non ex facie, sed ex voce cognovit Filium Dei, videlicet, quòd sic clamans expirasset.* Toto licet corpore saucius, & dique derelictus, & afflictus; tamen in modestissima, piissima, & votissima verba prorupit Jesus: *Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt: Pater, in manus tuas, commendo Spiritum meum.* Piè, devotè

devotè, modestè qui loquitur, probat se Filium Dei, monstrat signum evidens prædestinationis, quia futurus electus, Filius Dei.

CONCEPTUS VI.

Christus quondam telonium transire volens, ut naulum solveret, jussit piscari Petrum: *Vade ad mare, & mitte hamum, & piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies staterem, illum sumens dabis pro me, & te.* Matth. 17. cap. Ex naturâ suâ, pisces in ore nihil retinent, sed statim deglutunt: cur ergo stater non potius in ventre, & intestinis, sed rectè in ore inventus est? S. Ambrosius, in cap. 30. Exodi, per staterem in ore piscis, sermones pios, devotos in ore hominis intelligit, quasi ille, qui pia loquitur, nummos aureos in ore portet, quibus mirè tributum, & debitum, Deo, & mundo solvit; Deo, qui piis sermonibus, devotis, & spiritualibus discursibus summè laudatur: Mundo, quoniam proximus, mirum in modum, spirituali discursu, piâ loquelâ ædificatur, & ad Dei laudes inducitur. Concludit S. Ambrosius: *Stater in ore illius invenitur, qui staterâ ponderat sermones suos, ut igne examinatos proferat.* Sicut ergo stater præstito, liber passus viatori conceditur, in urbes ingredi, sic qui piè loquitur, discursus spirituales profert, staterem solvit, quo liber passus, & introitus in Regnum cælorum indulgetur.

CONCEPTUS VII.

Narrat liber Genes. cap. 8. Tempore diluvii, Noë ex Arcâ Columbam emisisse, ad indagandum, num aquæ diluvii minuantur, reversa est Columba, auspiciato ominè ramum Olivæ in ore deportans: ita sacer Textus: *Dimisit Columbam ex Arcâ, at illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum Olivæ virentibus foliis in ore suo.* Inde Noë intellexit, quòd aquæ cessassent; dũ observanda hic veniunt auspiciatum omen, Noë inde desumere, quia ramum Olivæ, & non Cypressi, & hunc ramum, non unguibus, sed ore deportat: Quid Mysterii latet, quòd rectè ramum Olivæ, in ore deportans Columba, prospera, fortunata nuntiet; nempè Deum placatum, iram mitigatam, gratiam, & veniam repertam. S. Ambrosius lib. de Noë cap. 19. per Olivæ ramum, quem Columba in ore

Gg 2

depor-

tum perambulare, hâc enim ratione fiet, ut diutius infisteret viâ spiritûs, & Dominicorum officiorum, ac cultûs divini possumus.

CONCEPTUS IV.

Marci cap. 6. convenientes Apostoli ad Jesum: *Renunciaverunt ei omnia, quæ egerunt, & docuerunt*: adhuc Apostolis mirantibus Christo, quæ effecissent, præ foribus adstant sequens populi, opera Apostolorum flagitantes: *Erant enim, qui veniebant, & redibant multi, & nec spatium manducandâ habebant*. Videns hoc Salvator noster, an fors ad laborandum, & operis continuationem Apostolos impellit? Minimè: recreationem, & relaxationem, requiem aliquam Apostolis indulget, & dicit: *Venite seorsim in desertum locum, & requiescite pusillum*. Marci cap. desuper Theophilactus: *Quiescere facit Christus discipulos suos, ut sciant prelati, laborantes in verbo, & doctrinâ, de quibus detur sua quies, & non semper intendant laboribus*. Ulter hoc percipere libet ex Oseæ cap. 11. & Lucæ cap. 10.

CONCEPTUS V.

Ero eis, inquit Deus, quasi exaltans jugum, super maxillas eorum Oseæ 11. Alludit Deus, ad praxim aurigarum, vel colonorum pecoribus stivam trahentibus, vel onera portantibus, licet non planè non deponant, tamen aliquantulum laxant, remittunt, ut si jumenta respirent, vires resumant, robustiora sint ad onera. majestas divina indulget, ut jugum servitii, oneris, laboris, officii, quandoque ad dies, & horas laxemus, alleviemus. Per christum Dio in œconomicis; apud Stobæum, serm. 62. *Dominari debet moderate, & recreari cupientibus id permittere, remittit enim, ad novos labores preparant, & arcus, & lyra, & in quiete vigent*. Ideò præcipit Salvator noster, Discipulis suis Lucæ 10. cap. *In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt, dignus est enim mercenarius, mercedem suam accipere*. Quibus verbis præcipit clementissimus Dominus, & corpori

dulgere, vires restaurare, animum & mentem honestè & discretè
recreare, & exhilarare. Perpulchrè Ovidius Epist. 3.

Quod caret alternâ requie, durable non
est,

Hæc reparat vires, fessaque membra
levat.

Arcus & arma tuæ, tibi sint imitanda
Dianæ,

Si nunquam cesses tendere, mollis eris.

Sancta Mater Ecclesia, mediâ in Quadragesimâ, Dominicam
vocat, *Latare: Latare Jerusalem, gaudete cum lætitiâ.* Cur Do-
minus eam, mediâ in Quadragesimâ vocat Latare? An fors pia
Mater Ecclesia, in mediâ Quadragesimâ, latari, recreare se in-
dulget? ita subscribit Innocentius Papa, in Serm. Dom. 4. in Qua-
dragesimâ: *Ne fidelis populus, propter asperitatem quadrages-
imalis abstinentiæ, sub continuo labore deficeret, in hæc medianâ
Dominicâ, quoddam recreationis solatium interponit, ut anxie-
tas temperata levius sufferatur.* Eleganter Plutarchus in Mo-
ralibus. *Lyram & arcum remittimus, quò melius possint tendi;
ita recreandus otio animus, ut ad labores reddatur vegetior.* Con-
cludit Statius, lib. 4. Sylv.

Vires instigat, alitque

Tempestiva quies, major post otia virtus.

Et Christum in nuptiis Canæ Galilææ adfuisse, & ex aquâ
vinum confecisse, narrat Evangelista Joannes cap. 2. Nuptiale
convivium, exhilaratio est animi; Vinum lætificat cor hominis;
ivit ergo ad convivium nuptiale Christus, vinum lætificans cor,
confecit generosissimum, approbans utique, honestam recrea-
tionem, mentis, ac cordis exhilarationem licere, & decere: Item

H h

Christus

Christus ex itinere & labore fessus, sedit supra fontem, quiete capit, & otium, corporis aqua potu, petit refrigerationem; et licet, & decet, corpori quietem indulgere, cibo, ac potu discere recreare. Sacer etiam Textus signanter enarrat, Isaac cum Rebecca jocatam fuisse: *Prospiciens Abimelech Rex Palestinorum fenestram, vidit Isaac jocantem, cum Rebeckâ uxore sua.* Gen. 26. cap. Nicolaus Lyranus interpretatur, Isaac esse imaginem spiritus, Rebeckam verò carnis: concludit Didacus Nysenus, *Part. 1. lib. 7. cap. 7. Politici Christiani: Docemur hâc re, quòd suavitati Relaxationes permittere Spiritus debeat.*

Epilogus.

Hortor ergo cum Divo Paulo: *Gaudete, iterum dico, gaudete, sed modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* 1. ad Philipp. cap. nempè modestia Christiana, in omnibus seruetur illæsa; iocunditas absque dissolutione, sine dentibus verba, non sint motus joci, non contumeliosi lepores, opera fiant talia, ut ad bene agendum excitent spectatores, in omnibus conjunctam habeant gratia modestiam, oblectatio honestatem, relaxatio ædificationem, conversatio discretionem, relaxatio temperamentum, confabulatio incitamentum, quo se Christus Salvator noster, discretè ac modestè confabulantibus consociet, ac recreet. Amen.

